DE CONDITIONIBUS PATHOLOGICIS IN MORBIS RITE…

Fausto Luigi Beluschi





PATRVO · EXIMIO

PETRO · BELVSCHI

MED. DOCT.

IN · MAGNO · BRIXIAE · NOSOCOMIO

PROFESSORI · PRIMARIO

CEV · INSIGNIS · EXISTIMATIONIS · TESSERAM

ET

PERENNE · AMORIS · MONVMENTVM

HASCE · PAGELLAS · SACRAS . VULT

AUCTOR



Theoriae controstimuli sectatores, omnes morbos, una diathesi viam praemonstrante, oppugnari posse et averti arbitrati sunt. Arcto simplicissimoque principio sic medicam scientiam accire conabantur, et mehercle summas ab universo terrarum orbe gratias hujusce doctrinae inventori agendas esse fas fuisset, si experientia cunctarum magistra disciplinarum non ostendisset, quod hoc systema, praeclari aliunde ingenii soboles, atque interdum felici redimitum labore, pluribus in casibus ad morbi vim compescendam nequaquam aptum evadit, quod valet, diathesim per se nequire satis firmum medici ratiocinium constituere in inquisitione morborumque curatione.

Et revera diathesis, quae *innormalitatem vitalium conditionum in earum manifestationum exercitio*, sive *excitamentum in organismi integritate metitur*, tantummodo, ut ita dicam, machinae animalis statum perpendit, quin nostram, organo in morbis universalibus praecipue, in localibus unice affecto, attentionem convertat.

Nec umquam argumentis magni ponderis strenuaque sagacitate et sollertia suffultis opus erat

ed existentiam alius principii demonstrandam, abs quo medicus, indicationibus dumtaxat diathesicis edjutus, saepissime ertis mandeta temere ministrare debebat egri spem proditurus. Sufficiat rapide uno intuitu morbos locales, nec non universales, illos scilicet qui ita communiter nuncupantur, lustrare. Cum omnes et singuli quamdam partem aut prae aliis, aut unice vexent, perraro eveniet quod in ipsis non detegatur, et dehinc jure meritoque conditionis pathologicae indicatio omittatur. Quis inficiari potest in febribus exanthematicis conditionem pathologicam evidentissime dignosci in textu cutaneo morbi sedem docente? In nevrosibus systema nervosum, in inflammationibus aliquod organon peculiare, uti in engine, peripneumonia, hepetitide, ipsam corripere quis non videt?

Conditio igitur pathologica aliud statuit elementum, cui practicorum examinationes semper spectandae sunt. Fraterno nexu diathesi vincta, in omni morbo locali perspicue elucet, et si non constanter in morbis universalibus patet, saltem saepe numero, ejus existentia neutiquam in dubium est revocanda.

Praestantissimus professor Fanzago, qui maximum decus et isti medicae scientiae perti gravissimae in aureo libello tredidit, conditionem pathologicam, sit, illum esse peculiarem processum

morbosum, qui in aegrotationibus etsi universalibus communiter, aut aliquo in organo, aut in nonnullo animalis oeconomiae systemate gignitur.

Pulcherrimam itali Pathologi Praeceptoris summe venerandi sententiam amplexus, ut ipsaemet conditiones firmis manent principiis, iisque vicissim innitantur, et ut eorum essentia nullo, si fieri potest, velamine cooperta in conspectum veniat, dicam primum, conditionem pathologicam intrinsecus statui normali partium affectarum subjici, idest multiplicem, diversamque singulorum organorum naturam perfecta florentium valetudine, quamplurima discrimina pathologicarum conditionum constituere. Ex hoc potissimas mutationes, quae in morbis contingunt, perpendamus, et cujusnam naturae, et quanta attentione dignas videamus.

Praeternaturalis virium actionumque vitalium conditio, irregularisque materiei, qua partes aegrotae efformantur, proportio assimilativa (si rite aestimatur) externum videtur morborum adspectum aedificare. Mutantur ideo in morbis et vires vitales et materiales: nam quamvis conditio pathologica functionum perturbationem absque organicae integritatis patefacto detrimento praenunciat, si rectius scrutamur, illa fluit tamquam effectus non solum innormalis operationum viriumque vitalium conditionis, sed etiam uti effectus majoris minorisve irregularitatis in assimilativa materiei partes aegras

componentis proportione; quamquam enim processus illas educentes principiorum mutationes, eorumque proportiones in morbificae vicissitudinis itinere nos lateant, phaenomena saepius mira, in aegritudinibus secretiones atque excretiones comitantia, satis superque illius in organica mixtione mutationis veritatem declarant.

Diximus statum dynamicum in aegrotantibus perturbari. In hujus rei testimonium sufficit nobis assimilationem texturnque cujuslibet organici systematis, uti fundamentum omnium singulorumque phaenomenorum ipsi dicatorum considerare. Cum sit igitur quaequam machinae animalis pars propria mixtione praedita, propria quidem vitali efficacia frui necessario debebit; hinc in morbis non dumtaxat materiale organismum, sed singularis partium vivendi modus in summa discrimina labitur.

Ast si assimilationis extat varietas, si morbi ab ea summopere pendent, jure consequitur, quod in sphaera organismi dynamica, praeter diathesium conditionumque irritantium genesim, mutationes prodibunt in minimis mixtionem organicam particulis aedificantibus, atque postbac pedetentim graviores processus morbosi textuum fabricam penitus avertent.

Si ergo phaenomena, quae in conditione pathologica animadvertuntur, perturbationem, immo mutationem virium vitalium nec non materialium,

jam firmis deprehensam argumentis pandunt; et si hae vires pari efficacia in cuncta systemata atque organa neque prodeunt, neque agunt; detrimentum quo eaedem in singulis machinae partibus corripiuntur, aequali non censebitur censu, sed differet juxta diversam organorum ipsorum naturam vivendique rationem.

Qua de re si in universum conditio pathologica omnino a statu normali partium morbo laborantium haurienda est: ex effatis colligitur, mixtionem organicam, textum et dynamismum tria principia praecipua constituere, ex quibus medicus pathologicarum conditionum species plane decernere queat.

Quodcumque systema ex se, nullique subjectum existimandum est et quoad ejus materiem, textumque, et singularem modum quo vitalitas potentiis externis in scenam trahitur. Penitus igitur peculiaris erit curatio ad varia sananda organa instituta. En utilitas medico scatens a recta pathologici status meditatione! en quomodo tutus in arduo itinere dux illi praebetur!

Jam vero haec lex haud in dubium vocanda, quae varietatibus mixtionum, textuum et dynamismi omnia pathologicae conditionis necessaria discrimina adjudicat, non tantum cunctis organis, et systematibus perfectis compositisque communis est, sed etiam machinae humanae fibris iisdem. Ipse

ex. gr. inflammationis gradus oculum manumque aggrediatur: juxta dynamicae vis principiorumque utraque organa efformantium diversitatem, curationis regimen vehementer differre debebit. Et revera exitus non raro infelix, oculi phlogosim quacumque methodo controstimulanti oppugnatam consequitur, dum difficillime manus inflammatio, salutari auxilio dimicata, infausto prosequitur eventu. Illis in phlogisticis processibus parvae oculi membranulae diverso modo afficientur, tenues eaedem fibrillae, sollerter sensum nobilissimum componentes, dissimiliter igne comprehensae invenirentur, si humanae sapientiae minimarum ima molecularum primitivarum penetralia explorare liceret. Istud in manus quidem fabrica patens fieret, quamquam ejus structura, cum rudior videatur, nos haud faciliter de mira varietate in exiguis corporis particulis suadeat.

Ad ratam magis faciendam peculiarem singulorum organorum existentiam, eorum varia potentiis nocentibus reactio convenit. Nam aer inter causas morbificas consideratus, singulariter in cutim pulmonesque actionem edit; cibus et potus in ventriculum tubumque intestinalem; somnus et vigilia in sensorium commune; motus et quies in systema musculare et sanguineum; virus syphiliticum in vasa lymphatica, hydrophobicum in fauces oesophagumque ruit.

Singillatim itaque vivit quidquid animale conficit corpus. Nostram firmantia sententiam non frustra exempla desiderantur, quamquam non sit fortassa quispiam defuturus pulcram jurgii causa veritatem adversatus. Si enim una corporis pars alieni relactatur stimulo, dum altera ejusdem viribus perpetuo insensibilis manet, variae mixtionis, textus atque dynamismi reactioni hoc adscribendum esse nemo ignoret, ut aeque conditionis pathologicae mandata praestent, et omnes ipsius indolis morbi ipsa methodo minimo medeantur, nulla habita ratione partis affectae. Talia phaenomena cum quotidie ante ora medicorum versentur, incassum ad trutinam revocarem. Quid plura? Processus phlogistici exitus, ut reliqua omittam, multa, secundum viscera quae divexat, discrimina suppeditans pro varia textuum natura propugnare videtur. Quidam inflammationis gradus cerebrum dilanians, plerumque in ventriculis parit lymphae affluxum, dum in abdominis cavo crassitiem duritiemque gignit: phlogosis ubera flagrans scirrho afficiet, numquam autem nec suppurationi, nec gangraenae tonsillas epididymumque subjiciet, et sic porro.

Praeterea cum conditio pathologica a primo membrorum vitae genere oriatur, statum anamnesticum procul dubio a remotis forsan temporibus summopere visceris aegrotantis naturalem sternentem alacritatem Practico perpendere opus erit. Praedispo-

sitio revera per morbos ad alias aegrotationes subendas acquisita, iisdem mixtionibus, textubus, viribusque vitalibus invitis, multiformes semper praebet effectus. Professor clarissimus comes Dalla-Decima exemplum offert: Quatuor individui post vini aut alius spirituosi liquoris abusum repente de calido cubiculo corpore aestuante aeri adaperto vehementer hiemanti se objiciunt, quin translati oppositam temperiem caveant libere aerem frigidum inspirare. Horum unus nullo morbo praedispositus; alii valde irritabilia adsunt intestina propter pertinacem dysenteriam, qua jampridem excruciabatur; alter levissima haemoptysi laborat; alter autem blenorrhagia venerea affligtatur. Isti quatuor homines per excitamenti augmentum ex potibus spirituosis, et ex caloris vi inductum, ob quam inordinata transpiratio, per consequentem frigoris subitam actionem, locum habuit, igne phlogistico generatim corripientur, qui solet pulmonibus determinari peripneumoniam procreando. In primo individuo inflammatio simplicissima symptomatibus mitissimis comitabitur; in altero peripneumonia una cum dysenteria prodibit in acenam, eodemmet tempore morbifica forma duplex evadet, duarumque affectionum seorsim respiciendarum adspectum induet; tertius per diabrosis praeexistentiam phlogosi pulmonali graviori concitabitur; in quarto tandem blenorrhagia vel antiquam pertinaciam refi-

ciet, vel itinere absistens, sic dictam herniam humoralem, sive tumorem inflammatorium epidermidis proximarumque partium conficiet.

Ab exemplo theoriae conditionis pathologicae utilitas immo necessitas sponte scatet. Quam lucem in Medicinae semitam, atris adhuc abditam tenebris, a vetustis divinae artis temporibus diathesis cognitio attulerit, neminem latet, dum primum praecipuumque clementum ad morbos curandos omni aevo, omni caelo, et semper servandum erit. At si vel tanta systematum medicorum dissidentia, eo tamen pervenimus, ut plerumque forma morbosa luculenter in conspectum veniat, hqc diathesi conditionique pathologicae salutari exitui simul conspirantibus est adjudicandum, quia ex iis, nexu constanti inter se junctis, forma morbifica manat, ita ut externa utriusque evolutio merito nuncupetur.

Cum ergo non sit, qui aegritudinis cujuscumque curationis ne animo quidem imaginem possit concipere, quin formam respiciat; atque si ista praesertim conditioni pathologicae ortum dabet, satis superque hujusce studii convenientia palam fit.

Statutis ergo tribus, quibus solet status pathologicus principiis proficisci, et intrinsecus efformari, ut conditiones rite determinentur, indeque apta medela oppugnentur, cara salutis voluptas

apud aegrorum lectulos nobis proxime arridebit. Cum fluat praeterea intimus nexus inter conditionem atque diathesim formam edentes, arcta ligamina duo maxima elementa vincientia, Clinicus nocturnis diurnisque meditationibus verset, ut morbi natura elucescat. Quanti momenti hoc studium sit ad corpus humanum pessumdatum valetudine recreandum, ex se plane patet. Tunc forma morbosa penitus evidens erit, tunc ars nobilissima summi, ni hallucinor, progressus aciem attinget. Spe dulcissima oblectatus quod scientiae cultores eximii hanc pathologiae partem strenue alacrique animo pervolvant, verba absolvam munere expleto quod summos mihi in Medicina honores adepturo incumbit. Dixi.

THESES PROPUGNANDAE

I.

Pro morbi forma constituenda, diathesis et conditionis pathologicae consideratio pernecessaria est.

II.

Pulsus duritiea atque irritatio non semper diathesis hypersthenicae criterium censeri debet.

III.

Sanguinis crusta pleuritica et cohaerentia non semper inflammatorium processum indicat.

IV.

Typhi contagiosi indoles et natura plerumque irritationis diathesim praesefert.

V.

Remedia stricto in sensu emmenagoga frustra desiderantur.